MISSALE DIOECESIS SALISBURGENSIS

Salzburg, 2. Drittel 15. Jh.

Seite 54r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8342
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

nit ad discipulos suos et dicit illis. Dormite iam et requiescite. Ecce appropinquabit hora et filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite eamus. ecce appropinquabit qui me tradet. Adhuc ipso loquente: ecce iudas unus de duodecim venit et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus missi a principibus sacerdotum et senioribus populi. Qui autem tradidit eum dedit illis signum dicens: Quemcumque osculatus fuero ipse est tenete eum. Et confestim accedens ad ihesum dixit. Ave rabbi. Et osculatus est eum. Dixitque illi ihesus. Amice: ad quid venisti. Tunc accesserunt et manus iniecerunt in ihesum et tenuerunt eum. Et ecce unus ex hiis qui erant cum ihesu extendens manum exemit gladium suum: et percuciens servum principis sacerdotum amputavit auriculam eius dextram. Tunc ait illi ihesus. Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium: gladio peribunt. An putas quia non possum rogare patrem meum et exhibebit michi modo plus quam duodecim legiones angelorum. Quomodo ergo implebuntur scripture quia sic oportet fieri. In illa hora dixit ihesus turbis. Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus: comprehendere me. Cotidie apud vos sedebam docens in templo et non me tenuistis. Hoc autem totum factum est: ut implerentur scripture prophetarum. Tunc discipuli